

ctio in Episcopum nominati et praesentati a potestate laica; at nominatio et praesentatio haec non includit, nisi aliud constet, characterem episcopalem; ergo neque electio, quae consequitur nominationem et praesentationem.

II. Proscriptae porro actiones sequentibus poenis coercentur.

1. Excommunicatione maiori Romano Pontifici speciali modo reservata.

2. Suspensione a beneficiis, scilicet a percipiendis beneficiorum fructibus; de qua re egimus *p. 429*; quae pariter suspensio speciali modo S. Sedi reservata est: *ipsarumque poenarum* (excommunicationis et suspensionis) *absolutionem seu relaxationem nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus.*

Praetermittimus perpetuam nullitatem actorum, quae poena est, non censura.

3. Suspensione et interdicto ab ingressu Ecclesiae, si eligentes vel electi episcopali characterem sint insigniti.

III. Excommunicationem autem et suspensionem incurrunt 1. Dignitates et Canonici Ecclesiarum cathedralium vacantium, qui vetita peragant. Non ergo alii qui ad Capitulum non pertineant, quamvis Ecclesiae Cathedrali sint adscripti.

2. Nominati et praesentati ad vacantes Ecclesias, qui earum curam regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et

translatione a Dignitatibus et Canonicis, aliisque de quibus supra, (ab illis scilicet qui loco Capituli eligendi vim habere praesumunt) in eos peractam.

3. II qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint, cuiusque status, conditionis et dignitatis fuerint.

Porro ex hisce postremis verbis duplex oritur quaestio; quarum prima quaeritur: An sub iis etiam laicae personae comprehendantur? Alia vero: An Episcopi? ita ut hi praeter suspensionem et interdictum incurrant etiam excommunicationem.

Et quidem quantum ad hanc alteram quaestionem attinet, ratio dubitandi oritur ex verbis *cuiusque status, conditionis et dignitatis fuerint*; nemo igitur excluditur.

Attamen verior illa nobis sententia videtur, qua Episcopi excommunicatione eximuntur; afficiuntur autem una suspensione et interdicto ab ingressu Ecclesiae.

Reapse nulla est poena imponenda nisi de lege certo constet, at in casu non constare de lege qua Episcopi prohibita perpetrantes excommunicationem incurrunt, certum nobis videtur ex quo disertis verbis exprimantur quando eis suspensio et interdictum imponitur. Episcopi igitur a superius expressis segregantur, atque sub una veluti classe ponuntur. Quod evidens quodammodo est ex verbis. *Si vero aliqui ex praedictis episcopali cha-*

*ractere sint insigniti* etc. At hi *aliqui ex praedictis* etc. essent qui concedunt et transferunt curam, regimen et administrationem vacantis Ecclesiae nominato et praesentato a potestate laica; nominati et praesentati etc. essent qui praemissis paruerint; atqui de iis prorsus dicitur quod *si aliqui ex praedictis episcopali characterem sint insigniti in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium et interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto incidunt*; ergo hi non comprehenduntur sub aliorum censu. Sin enim comprehensi fuissent, nulla necessitas erat insignitis episcopali characterem exprimere, cum iam hi comprehenderentur sub verbis praesertim *cuiuscumque praeeminentiae et dignitatis fuerint*. Ulterius si episcopi etiam excommunicationem incurrerent, debuisset legislator scribere: Si vero aliqui etc. *etiam* in poenam suspensionis et interdicti ab ingressu ecclesiae incidunt, vel aliam adhibere loquendi rationem, qua detegeretur, Episcopos etiam excommunicatione percelli. Demum nulla ratio apparet quare ob idem crimen Episcopi triplici censura teneantur, alii vero duplici.

Circa primam quaestionem certum nobis videtur inter cooperantes etiam laicas personas comprehendere; etenim status, conditio, praeeminentia et dignitas etiam ad laicas personas spectare dignoscuntur; in facto autem etiam laicae personae

sese in hisce negotiis immiscere se possunt, et immiscent; qua de causa nulla ratio apparet, qua sint excludendae.

Non putamus autem sub illis verbis comprehendere personas in imperiali vel regali dignitate constitutas, cum hae sub censuris inclusae non censeantur, nisi earum dignitas disertis verbis exprimat; ut factum a Pio Papa IX est in excommunicatione lata contra perpetrantes duellum, vel nisi actio quae proscribitur non nisi a supremis imperantibus perfici possit; quod patet ex Capite XII tit. 1. *Invadentes, destruentes, et detinentes* etc. At in nostro Cap. nullo pacto apparet has personas esse reges vel imperatores vel supremos Praesides; hi enim sub mandantium nomine venirent, ut patet ex verbis: Capitulum obsequens *invitationi seu mandato, licet verbis deprecatoriis concepto, supremae civilis potestatis.*

Post eiusmodi etiam illa quaestio dirimenda est, qua quaeritur: an electus in Episcopum a Capitulo qui curam, regimen et administrationem Ecclesiae vacantis assumit, excommunicatione percellatur? Quae quidem quaestio nil cum praecedenti commune habere videtur, cum in ea agatur de Episcopo nominato et praesentato a potestate laica, in hac vero de episcopo ab ipso Capitulo electo, sine ulla potestatis laicae nominatione et praesentatione.

Ratio autem huius agenda quae-

stionis ex sequentibus verbis desumitur: *In easdem poenas (excommunicationis et suspensionis) pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati et praesentati ad vacantes ecclesias; qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a Dignitatibus et Canonicis, aliisque de quibus supra, in eos peractam.*

Avanzini *Comment. Edit. 3 Manual. pag. XXXV* affirmativam sententiam amplectitur... *Nominati et praesentati, vel ut supra electi ad vacantes Ecclesias... excommunicatione latae sententiae speciali modo Papae reservata plectuntur.* Atque Avanzinio subscripsere Del Vecchio *Theol. Mor. Tom. 1. pag. 590*, aliique.

At veriore, idcirco tenendam, contrariam sententiam arbitramur, qua electi ab ipso Capitulo excommunicatione eximuntur; et quidem ob eadem argumenta. Etenim 1. lex deficit, cum in *loc. cit.* sermo sit de nominatis et praesentatis, scilicet a potestate laica, ut ex universa loquendi ratione in Constitutione adhibita patet; legem autem poenalem ad alias personas non expressas extendere iuris regulae ventant. 2. Demonstravimus, Canonicos

(1) Exinde corrigimus et retractamus ea quae scripsimus in Commentariis nostris *pag. 430* scilicet 1<sup>o</sup>. An eandem suspensionem incurrant Episcopi praedicti si Ecclesiae vacantis curam, regimen et administrationem conferant non nominato et praesentato a laica potestate, sed ab ipso Capitulo?

2<sup>o</sup>. Hanc suspensionem incurrunt ne ipsi Episcopi electi, si Ecclesiae regimen suscipere praesumpserint?

Ad utramque quaestionem quantum ad electos a Capitulo respondendum est negative, ob rationes hoc in loco expositas.

et Dignitates excommunicationem non incurrere si transferant Ecclesiae vacantis regimen in electum ab ipsis; ergo a pari, poena non percillantur electi a capitularibus curam et regimen Ecclesiae vacantis suscipientes, nisi aliter expressis verbis cautum sit. At nullum in lege habemus verbum expressum: etenim verba ex concessione et translatione non significant electionem a Dignitatibus et Canonicis peractam, sed horum obsequentiam nominationi et praesentationi factae a laica potestate, ut patet ex verbis: *Capitulum Ecclesiae Cathedralis vacantis obsequens invitationi seu mandato... supremae civilis potestatis concedere et transferre praesumit, ac de facto concedit et transfert in nominatum et praesentatum ad eandem Ecclesiam etc.* Et paullo post: *Praeterea nominatos et praesentatos, iure quod eis per nominationem et praesentationem forte quaesitum fuerit, decernimus eo ipso privatos.*

Cum ergo deficiat lex, deficiat ratio interpretandae legis, non possunt electi a Capitulo veluti excommunicati et suspensi traduci si Ecclesiae vacantis curam et regimen suscipiant (1).

Eiusdem indolis videri poterit alia quaestio, quam subiicimus. Legislator dum excommunicatione et privatione fructum beneficiorum quorumcumque percillit Canonicos et Dignitates velita actione sese commaculantes, praetermittit illos qui, deficientibus Capitulis, Vicarios deputant, aut vacantes Ecclesias legitime administrant. Inquit enim: « Ubi vero ea exequi detrectaverint, ac concedere et transferre etc.... praefatos Canonicos et dignitates excommunicationis maioris, nec non privationis fructuum beneficiorum etc. » Quid igitur? num ne alii, Canonicis et Dignitatibus exceptis, illatis poenis evadunt immunes?

Ut aliis ita nec nobis videtur; primo quidem, quia et hos Legislator expressit dum eos recensuit, qui Apostolicas literas exequi debent: 2. quia et eos conglobatim recensuit dum dixit: *Ubi vero, quod Deus avertat, ea exequi detrectaverint*; illi scilicet quos supra Legislator loquens de iis qui de gremio Capituli erant, prius Dignitates expressit, postea Canonicos; postea prius Canonicos deinde Dignitates commemoravit, quo intelligimus sub Dignitatum nomine omnes comprehendisse, ad quos, deficiente Capitulo, pertinebat aut Vicarios Capitulares deputare, aut vacantem Ecclesiam legitime administrare; hae enim sunt personae in dignitate constitutae, ideoque sub dignitatum nomine

venire possunt et veniunt. 4. Nulla de coetero ratio apparet, qua ab poenis incurrendis eximendae sint; culpam enim eadem est; et legislatoris mens de iis comprehendendis sat est manifesta. 5. Neque adest paritas cum superiori quaestione; in ea enim legislator semper loquitur de nominatis et praesentatis a laica potestate, quam in negotiis sese intromittere ecclesiasticis aegre semper tulit Ecclesia, ut cetera praetermittamus quae super scripsimus

Post haec de interdicto.

Quae vero de interdicto dicenda sunt ex iis omnibus dependent, quae circa hanc suspensionem *loc. cit.* diximus; iisdem enim conditionibus et causis delinquentes obstringuntur.

Attamen paucis rem absolvamus. Episcopi hi sunt vel pertinentes ad Capitulum qui in nominatum vel praesentatum a potestate laica transferunt regimen et administrationem vacantis Ecclesiae, vel ipsi nominati et praesentati a potestate laica, vel qui paruerint praemissis, et auxilium, consilium, vel favorem praestiterint, ut electo et praesentato a potestate laica regimen et administratio praedicta conferretur.

Etenim lex est: *Si vero aliqui ex praedictis Episcopali caractere sint insigniti etc.* At praecedunt omnes quos nominavimus; ergo Episcopi hi suspensionem a pontificalibus, et interdictum ab ingressu Ecclesiae incurrunt sive pertinentes

ad Capitulum concedant et transferant regimen et administrationem Ecclesiae vacantis in nominatum et praesentatum a potestate laica; vel hanc administrationem et regimen ipsi suscipiant; vel auxilium, consilium, favorem praestent ut nominatis at praesentatis huiusmodi regimen Ecclesiae vacantis conferatur. Non est hinc admittenda illorum sententia qui interdicto afficiunt unos nominatos.

Manifestum autem ex lege est, in delinquentibus huiusmodi ausum temerarium requiri ut illatis poenis afficiantur: Legislator enim hunc disertis verbis requirit: *ac concedere et transferre.... ausi fuerint: Nominati et praesentati... qui administrationem suscipere audent.* Si ergo praesumptio desit, et qualibet ignorantia detineantur, vel metu compulsi fuerint, illatis poenis eximuntur; qui enim ignorantia qualibet in legis transgressione la-

borat, vel metus causa illam transgreditur audax dici non potest.

Porro sicut suspensio ab exercitio Pontificalium, ita et interdictum ab ingressu Ecclesiae, quae quid importent iam diximus, est speciali modo Summo Pontifici reservatum. Qua de causa Episcopi vi Capituli *Liceat*, ab eiusmodi censura delinquentes absolvere non possunt, quamvis sit occulta.

His autem, quas hucusque expendimus, concluduntur censurae omnes generales, vel generali de causa illatae a Pio Papa IX sive in *Const. Apostolicae Sedis*, sive extra, sive ex Conc. Tridentino renovatae.

Sed praeter has, Pius Papa IX, alias nonnullas particulares censuras immotas stare voluit, de quibus disserere nostrum non est; ideoque id unum agemus, ut ea quae Pontifex in sua addit Constitutione nonnullis animadversionibus, seu melius notis illustremus.

#### APPENDIX LVIII.

##### Porro ita prosequitur Pius Papa IX.

« Quae vero censurae sive excommunicationis sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut Sacris canonibus, praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institu-

torum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus. »

Dicendis ea praemittimus quae scribit cl. Avanzini *Comment. Edit. 3. man. pag. 97.*

« Hic aliqua umbra posset menti occurrere dicendo: Si Constitutio *Apostolicae Sedis* agit tantum de censuris universalibus, relinquens coeteras in eo vigore quo reperiantur, cur in *Art. XV* recenset extrahentes absque legitima venia reliquias e Catacumbis Urbis Romae, easque censura plectit? Nonne haec est censura ratione peculiaris loci inflictata, sicut ex gr. ea quae inflingeretur ratione Bibliothecae sorvandae ne libri extrahantur? Item, cur in *Art. VII* censuras infligit in externos Romae commorantes ne ab aliis ordinentur, quam ab E<sup>m</sup>o Card. Vicario, vel sine eius licentia? Nonne haec censura inflictata est ratione peculiaris loci ubi externi commorantur? »

Resp. « Haec umbra diluitur, si animadvertas, eiusmodi censuras latas esse, non ad privatorum petitiones pro tutandis locis, ut contingit in censuris latis pro Bibliotheca, ne libri extrahantur, vel aliis similibus; sed per universales Romani Pontificis constitutiones, ex publica universalique Ecclesiae causa, et hoc sensu iam universales dici possunt. Praeterea agitur de locis, quae sub aliquo respectu dici possunt universalia, tum quia Urbs est princeps catholici Orbis, cui nullus fidelium est extraneus, ideoque patria est omnium Christifidelium; tum ob frequentissimum concursum invisendi ea coeme-

teria, sacra pignora vetustissima nostrae religionis; itemque ob eundem concursum iuvenum ex omni Orbis parte ut Romae sacras scientias addiscant. Eiusmodi rationes efficiunt ut dictae censurae maiori iure recenseantur inter universales quam inter particulares. »

Post haec, ex cit. paragrapho manifestum est, declarasse Pontificem non esse abrogatas reliquas censuras quae vel ab ipsis Romanis Pontificibus, vel ex Sacris Canonibus latae fuerunt in particularia instituta, vel cuiusvis generis loca particularia; cum enim hae censurae finem specialem habeant, atque afficiant unas personas alicuius coetus, Ordinis, Instituti, vel illa tantum loca, et non alia, conservandae potius erant quam abrogandae, ne finis praestitutus cum damno evidentissimo et personarum et locorum particularium in irritum mitteretur.

Non omnes tamen eiusmodi censurae particulares vim habere ex Piana Constitutione reperiuntur. Etenim 1. Legislator non affirmat eas se innovare, sed dicit eas non esse abrogatas, quo earum vigori nil addit; dum si innovatas dixisset, iis etiam vim addidisset quae in desuetudinem quacumque abiissent de causa.

2. At e contra expressis verbis decernit, eas tantum censuras firmas esse et in suo robore permanere, quae hactenus in suo vigore